

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Partis II. Illustriorum Jesaiæ Locorum Dissertatio XIX. De Peccatis Qvorundam
Usqve Ad Mortem Non Remittendis Ex Massa Vallis Visionis : Jesai. XXII. v. 14.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1703]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431593>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1703

Habichhorst, Andr. Dan.

/a



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1003431593/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431593/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1003431593/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431593/phys_0004)

DFG

PARTIS II.
ILLUSTRIORUM JESAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO XIX.
^{DE}
PECCATIS
QVORUNDAM
USQVE AD MORTEM
NON REMITTENDIS,
^{EX}
MASSA VALLIS VISIONIS,
JESAI. XXII. v. 14.

Quam
Assistente DEO - Homine & R. FCte Theol. annuente.

SUB PRAESIDIO

**ANDREÆ DANIELIS
HABICHHORSTII,**

S. Th. D. ejusdemq; PP. & Seren. Duc. Mekelb. Consiliarii Consi-
storialis, nec non FCtis Theol. & Collegii Ducalis totiusqve

Aead. Senioris,

placida collationi Academica,

Ad d. 24. Febr. A. 1703. in Audit. Maj. instituende,

siftit

DAVID FRANK / Lychenâ Marchicus.

ROSTOCHI, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.

1703

VIRIS

Admodum Reverendis, Nobiliss, Prudentissimo
& Praclarissimis,

DN. JOHANNI FRANCO,

Ecclesiæ, qvæ Christo colligitur Lychenæ, Pastori vigilantissimo,
Rev. Synodi Seniori venerando,
Parenti meo dilectissimo & observandissimo:

DN. GABRIELI FRANCO,

Prædictæ Civitatis Consuli meritissimo, & Accisarum
Regiarum Inspector spectatissimo,
Patruo meo atatem de venerando:

DN. MATTHÆO BERG- MANN.

Eiusdem Ecclesiæ Lychensis Diacono strenue demerenti,
Scholæque ibidem Rectori teletissimo:
Consobrino meo honoratissimo suavissimo que:

nec non

DN. JOACH. NEUMANNO,

Ecclesiarum Rutbergæ, Cœliportæ & vicinarum Pastori
fidelissimo,

Fautoris studiorumque meorum Patrono singulariter colendo:

Hoc qualemque studii Academici specimen,
In observantia & amoris
signum, cum ardentissimo
omnigenæ felicitatis voto,

D. D. D.

DAV. FRANK.

LOCUS XXI. JESAI. XXII. 14. 313

De-

*Peccatis quorundam usque ad mortem non remittendis,
ex Massa vallis visionis.*



D novum Massa, qvod cap. XXII. DISP.
exhibitetur progressuros , primo XIX.
statim ingressu titulus nonnihil
remoratur, his conceptus verbis:
מִצְרָיִם נַחַת i.e. *Massa vallis vi-
sionis* , qvem, qvia obscuritatem
qvandam habet, paucis in ingressu
dilucidare non pigramur , prius-

quam loca ex hoc Massa illustremus. Dubitandum verò
non est, qvin sub nomine *vallis visionis* non præcisè urbs
Jeruschalem, quamvis præcipuè, vid. v. 10. tanquam me-
tropolis, & urbs populis plena ac latabunda v. 2. qvippe in
qua civitas David erat v. 9. sed cum *vallibus & montibus* suis
v. 5. & 7. imò & cum tota terra regnoque Iuda v. 8. signi-
ficetur. Inde & hoc quoqve Massa objectivè non tantum
Hierosolymitanum, sed & per nexus hunc, Massa *Iudeorum*
diceremus. Sed disqviritur híc , qvæ appellationis
hujus cùm *vallis* tum *visionis* sit ratio ? Prioris nempe *vall-*
is ratio explicatu difficilis videtur Sanctio : ita enim ille in
Comment. h.l. p. 221. Cur verò *civitas* , *qva in montibus*
sita est , *& roties ab hoc Propheta mons vocata* , *nunc dicatur*
vallis , *non est explicare promptum*. Existimat verò idem
ibidem cùm Hieronymol. 5. Comm. Jesai. p. 5. urbem &
regionem Jhudaicam, qvæ alibi *mons* & híc *vallis* audit,
ita *impropriè* dici, eò qvòd ab antiqua jam sanctitate &
splendore , propter qvem coeteras inter gentes vocari
mons potuit, desciverit indeqve humiliata sit, ut valli non

Zz

dissi-

dissimilis videatur. Nobis verò *vallēm* potius propriè vocari propter situm planè suum censetur, qvia valles habet multas, juxta 7. capitū hujus versū. Ubi enim montana datur regio, qvalis Jeruschalem & Ihudæa est, juxta Gen. 22. 1. & 2. Chron. 3. 1. ibi & valles inter montana reperiuntur; id qvod docere nos potest, qvi vel Bohemiam inter Dresdam & Pragam, vel Helvetiam vel Pedemontium peragravit. Posterius verò *visionis* nomen ad ipsum urbis *Jeruschalem* nomen alludere censeret: siqvidem in lingua id Hebræa ex *visione* & *pace* compositum est; ex *visione* inquam: prior enim syllaba, vel pars nominis illius *Jeru*, est ex Rad. רְאֵה *vidit*; unde tertia fit persona masc. Futuri יְרָאֵה *Fireb* i. e. *videbit*, qvæ est pars nominis illius i. e. *Dominus videbit*, qvod olim Abrahamus montanis illis Hierosolymitanis indidit Gen. 22. 14. posterior pars *Schalem* (qvæ est à R. שֶׁל perfectus fuit, in Hiph. *pacem init vel fecit*, unde שֶׁל *pax*) est antiquum urbis hujus nomen, qvod tempore Melchisedeci Regis *Schalem* obtinuit, vid. Gen. 14. 18. Ebr. 7. 1. & conf. Psalm. 76. 3. & Disp. III. Tractatus nostri de *Melchisedeci historia & figura*. Unde & communiter nomen *Jeruschalem* per *visionem pacis* interpretantur. *Visionis* ergo nomen *valli* hic jungitur, tum qvia Dominus in monte Morijab, sive in regione illa montana, valles multas habente, in qua Jeruschalem sita fuit, juxta 2 Chron. 3. 1. Abrahamo apparuit vel *visus* est, à qua visione, ceu dictum, montanis olim Hierosolymitanis nomen יְרָאֵה *i. e. Dominus videbit*, inditum, qvod etiam cum nomine regionis illius *Morijab* Gen. 22. 2. eximiè convenit: nam *Morijab* compositum nomen ex participio Hophal verbi הַנִּיר & nomine *divino* דָּבָר significat *Dominum visum* vid. Disp. III.

Tracta-

Tractatus nostri jam dicti, punct. 3. §. 2. *tum* qvia Jeruschalē
in illa regione montana, valles multos habente, existens
multiplici visione excelluit: visione scilicet tot Prophetarū,
qui ~~רְאִיָּה~~ i. e. *videntes*, Seher vocantur i. Sam. 9. 9. in-
primis verò qvia in hac visionis terra visiones de die Cbris-
si Joh. 8. v. 56 exhibebantur. Nunquam verò illustrior
fuit *vallis visionis*, quam ubi visionibus ipsius Domini &
Servatoris nostri nobilitata est hæc visionis terra, quippe
qui visus ibi varie est; visus sanè in Bethlehem nasci & in
præsepio jacere, visus in templo tanquam magnus ille
Propheta docere, visus in Jardene baptizari; visus sedere
ad fontem Jacob, visus in nuptiis aquam in vinum mutare,
visus in navi dormire, visus in horto precari & cum mor-
te luctari, in prætorio flagellari, alapā lædi, coronam
spineam gestare, visus extra portam educi magnamque
crucem portare, visus in monte Morijah ligno affigi, in-
ter latrones pendere, visus lanceā transfigi, visus sepeliri
& post resurrectionem per 40. dies apparere, tandemq;
in cœlos ascendere. Qvinimo visione effusi Spiritus S.
& lingvarum in Discipulis Christi divitiarum conspicua
vallis fuit. Huic verò *valli visionis*, tot quidem tantisque
visionibus insigniter olim nobilitatæ, sed & abhinc tot
Prophetarum de JESU martyrum latrociniis famosæ, &
per tumulos Prophetarum deformatae, Iesaias noster
præsenti cap. XXII. calamitatem prænunciat, & quidem
in priori parte, qvæ *Nationis* est, usqve ad v. 14. toti visio-
nis *valli* calamitatem universalem prædictit; parte v. po-
steriori, qvæ *personalis*, particularem, & quidem *Principi*
cuidam vallis hujus, nimirum *Schebbne*, vaticinatur.

§. 2. In priori parte, ex qva locum qvendam sume-
mus jam dilucidandum, qvatuor præcipue momenta con-
tineri

Zz 2

neri videntur 1. calamitatis ipsa prænunciatio v. 1. 2. præ-
 inunciatae calamitatis deploratio v. 4. 3. ejusdem calamiti-
 tatis effectus s. operatio , eaque à DEO qvidem intenta
 v. 11. scilicet operatio pœnitentiæ v. 12. sed à populo negle-
 ñta v. 13. qvippe qvi in epicureismum prolapſus, voluptates
 usque ad mortem elegit alteramqve vitam neglexit ibid.
 Tandem 4. calamitatis propter neglectam DEI intentio-
 nem & impœnitentiam augmentatio , per denegationem
 remissionis illius peccati futura v. 14. Ex his v. partis primæ
 contentis, qvoniam ultimus præcipue versus , nempe 14.
 qvi nobis severam DEI comminationem, de predictis Iudeo-
 rum calamitatibus, per denegationem remissionis peccati usq;
 ad mortem, propter impœnitentiam augendis , exhibit, con-
 troversis qvibusdam obnoxius est, in fonte sic habens:
 ונה באנני ווהו צבאות אם יכפר הען חזה רכש עזר תמן :
 אפר ארני יהוח צבאות i.e. Et revelatum est in auribus
 meis Domini exercituum: si expiabitar (dimitetur) iniqvitas
 hac vobis usque dum moriamini, dixit Dominus Dominus ex-
 ercitum: siqvidem hic versus non tantum à Iudeis pra-
 pietatis speciem præferentibus, & gloriam inde singu-
 larem aucupantibus, pro termino gratia revocatricis per-
 emtorio , qvem docent , allegatur ; proinde non possu-
 mus qvin eidem , adhibitis ritè interpretandi mediis , lu-
 cem qvandam feneremur. Qvatuor vero capita & qvæ-
 stiones hinc emergentes, circa hanc severam DEI commi-
 nationem , de calamitatibus Iudeorum per denegationem
 remissionis peccati usque ad mortem augendis, qvam locus
 hic nobis exhibit , pro genuino ejus sensu rectius evol-
 vendo , tractare tenemur , & qvidem i. severæ hujus com-
 minationis incentivum s. causam, qvam priora loci verba
 exprimuntur.

exprimunt : *Et revelatum in auribus meis Domini exercitum.* Ubi qværitur inter alia, cuius hæc vox, qvæ revelata, & cuius sint aures, in qvibus revelata? an vox Domini & aures Prophetæ? an vero vox peccantis populi & aures Domini exercitum? 2. *Comminationis vehementer affirmantis formulam:* ubi qværitur, qvæ ratio verborum: *Siremittetur vobis hac iniquitas.* 3. *Severæ comminationis materiam,* qvæ est denegatio remissionis usque ad mortem: ubi qværitur, quid sibi velit positus verborum vel restrictio: *donec moriamini?* an illa remissionem peccati per mortem i. post mortem promittat? item an probet terminum gratiæ revocatricis peremptorium? 4. *complementi comminationis hujus Chronologiam.*

§. 3. Circa I. nempe comminationis hujus *incertum s. causam*, qvæ est *clamor vocis impiorum*, impudenter & contemptus divinæ vocationis ad pœnitentiam plenæ, *in auribus Del potenter personantis*, & his proponitur verbis: וְנִגְלַה בָּאֹנוֹן יְהוָה צְבָאוֹת qvæ Vulgatus ita vertit: *Et revelata est in auribus meis vox Domini, tria disqviruntur: Nam qværitur (1) an verbum וְנִגְלַה cum Vatablo reddendū: Et revelabitur; an verò cum LXX. & Vulgato: ἀνανελυμίνα, Et revelatum est? (2) an verba seqventia: בָּאֹנוֹן יְהוָה צְבָאוֹת cum Vatablo vertenda sint: in auribus meis &c. an verò cum LXX. & Germanica nostra: וְנִגְלַה עַל בָּאֹנוֹן i. e. in auribus Domini exercitum: Solches ist für den Ohren des HERREN Zebaoth offensichtlich? (3) qvomodo vox בָּאֹנוֹן i. e. in auribus meis, & יהוָה צְבָאוֹת cohærent? an inter has voces detur ellipsis nominis קול i. e. vox, juxta Vulgatum h. m. *Et revelata est in auribus meis* (Prophetæ) VOX Domini Zebaoth? an vero freqvencissima ellipsis tam pronominis שֶׁר i. e. qui, qvam verbi*

Z z 3

substan-

substantivum, juxta Vatablum, qui ita vertit: *& revelabitur in auribus meis*, QVI SUM Dominus exercituum? Vel (ut summatim dicamus, quod res est) quæritur cuius illa vox, quæ revelata, & cujus sint aures, in quibus revelata? utrum vox Domini & aures Prophetæ? an vero vox peccantis populi & aures Domini exercitum? Resp. ad (1) esse præteritum conj. primæ pass. Niphal adeoque recte reddi in præterito cum LXX. & Vulgato: *& revelatum est*, non autem in Futuro cum Vatablo: *& revelabitur*. Nec obstat præfixum *qvod* alias convertit significationem præteriti in futuri: non enim præteritis præfixum semper conversivum est, neque hic tale putetur, cum ipse contextus reclameret: Siqvidem de re præterita sermo est, scilicet de voce peccantis populi (*edamus, bibamus, cras moriemur* v. 13.) quæ in auribus Domini potenter personuerat, adeoque revelata jam erat. Resp. ad (2) in fonte hic non legi *בְּאָזְנֵי יְהוָה* in statu constructo, uti Nehem. 9. 1. adeoque nec vocem quæstionis construi cum nomine *qvod* seqvitur, h. m. revelatum est *in auribus Domini*, ceu LXX. & Lutherus verterunt; sed *בְּאָזְנֵי* in statu affixo i. e. *in auribus meis*, uti Vatablus & Vulgatus reddiderunt. Resp. ad (3) videri qvidem hic dandam esse ellipsis quandom inter voces *בְּאָזְנֵי* & *יְהוָה* cum prior non sit status constructi ceu dictum, ut verti queant: *in auribus Domini*, sed affixi: neque sensus hic citra ellipsis alicujus vocis primo intuitu commodus videatur; non tamen dandam esse ellipsis nominis *לִפְנֵי* i. e. *vox*, h. s. *revelata est in auribus meis vox Domini*, ita ut aures sint Prophetæ & vox Domini, juxta Vulgatum & Tremellium, qui locum præsentem & parallelum Jesai. 5. 9. perperam ita reddit: *me (Propheta) audiente (dixit) Zekovab*; à quibus non abeunt *Feriorius*

verius & Haymo, nec dissentit Chaldaeus, nec Cornelius à Lapide, cuius hæc est ratio h. l. q̄via illud verbo nostra (Vulgaris) exigit: cum potius ad fontem & contextum respicere debuisset, q̄vitalem ellipsis vocabuli VOCIS non permittunt, siqvidem nec aures Prophetæ nec vocem Domini admittunt, sed ad vocem populi peccantis, in auribus Domini potenter personantem, respiciunt. Si qvæ verò ellipsis danda fuerit, potius ellipsis vel pronominis יְהֹוָה i. e. qvi, & verbi substantivi sum, juxta Vatablum, vel etiam verbi יֹאמֶר i. e. dixit, ex immediate seqventibus hīc inferendi vel repetendi, dandam esse dicere mus, ut aures sint Domini & vox populi peccantis & dicentis v. 13. edamus, bibamus, cras enim moriemur. Hujus enim ellipsis tam pronominis relativi & verbi substantivi, qvām verbū eiusdem ex immediate seqq. repetendi exempla, sacræ Scripturæ satis sunt familiaria. Vid. similia ap. Glassium in Phil. Sacr. l. 4. Tract. 2. Obs. 12. Cœterū Ellipsis hīc locum non relinqvi, sed commodiūs verba qvæstionis juxta fontem sic reddi posse ac debere judicamus: Gre-
velarum est in auribus meis Domini exercituum. German.
Solch euer Gottlos Wesen ist für meinen des H̄Ern der
Heerscharen Ohrenoffenbahret: qvomodo & in latinis fre-
quenter dicimus: hæc est sententia mea præsidis, h. e. sen-
tentia mea, qvi sum Præses; item, hæc sunt nostra Magistra-
tus mandata. Sic Ovidius: ut mea defuncti molliter ossa
cubent. Nam Pronominibus possessivis apud latinos (qua-
re non etiam pronomini affixo possessivo Hebræo (-) i. e.
meis in מַאֲנִי) junguntur præter genitivos (ip̄sius, solius,
unius &c.) etiam participiorum & aliorum qvorundam
nominum Genitivi, hoc loco nominis divini i. e. Do-
mini. Neq; aliter locus parallelus Jes. 5.9. בָּאָנִי יְהֹוָה צְבָאוֹת

red.

reddendus est : Es ist für meinen des HERRN der
Heerscharen Ohren. Proinde non amplius juxta San-
ctum in Comm. h. l. p. 224, obscurum est, nec referente
Sanctio dubium juxta Thomam relinqvetur , cuius sint
aures & cuius vox : DEine an Prophetæ sint aures ? Populæ
vox an Domini ? Laudandus tamen est Sanctius , qui l. c.
per vestigia Hugonis , Dionysii & Vatabli ductus , trans-
lationem τῶν LXX. & fontem Hebræum hic præfert
vulgato, qui vocabulum vox , quod in fonte non appetet,
(ceu ostensum) hic inseruit, sensumque sic verborum
adulteravit , statuendo aures esse Prophetæ & vocem Do-
mini ; cum tamen revera juxta fontem Hebræum & con-
textum aures sint Domini & vox peccantis populi & præce-
dente v. 13. dicentis : edamus , bibamus , quia cras moriemur ,
quæ vox revelata est in auribus Domini. Sed de verborum
translatione sic satis.

§. 4. Ad rem verò ipsam nunc respicientibus dubium
occurrit , quo queritur , annon Prophetæ gratis hæc de
auribus Domini vel de voce populi peccantis revelatione in au-
ribus DEI subjiciat, adeoque novi nihil nihilque ignoti ad-
dat ? DEO enim patere omnia cui non patet ? Sed Resp.
(1) sub jungere hæc Prophetam ad excutiendam Ihudæo-
rum locordiam , qui nunquam adversus DEum tam pro-
tervè insurrexissent , cum illos ipse ad fletum & saccum h.
e. ad pœnitentiam vocaret, vid. præced. v. 12. nisi putasse
se impunè sic agere DEumque fallere peccando posse , i-
deoque non abs re monentur & ab judicium DEI citan-
tur , ut sciant DEUM non latere , etiam quæ in occulto fi-
unt , & proinde rationem sibi certò esse reddendam : un-
de & horrendâ mox comminatione dictum hoc robora-
tur. Resp. (2) emphasis quandam enormitatis locutio-
ne

nem hanc designare. Ita enim loquide flagitiis enormibus scriptura solet, qvod in aures Domini ad cœlos usque clamitent. Scilicet notatur h̄ic clamor vocis impiorum impudentiae & desperationis plenæ ad ipsas aures Domini pervenisse, in illisqve tam potenter personuisse, ut in contemtores illos decretum sit supplicium, nunc prædicendum & dehinc justæ executioni dandum. Similis locutio occurrit loco suprà citato Jesai. 5. 9. ubi cum Prophetā præced. v. 8. detestandæ illorum iniqvitatis mentionem fecisset, qvi domum domui conjungunt, agrum agro appropinquare faciunt, adeo qvidem ut pauperi locum non relinqvant, sed soli in terra habitent, seqventia subjicit verba: *in auribus meis Domini exercituum* (scilicet sunt h̄ec flagitia vestra). Notetur & ibi clamor illorum, qvi ex domibus & fundis h̄ereditariis migrare per invasores iniqvissimos jubeantur, ad ipsas DEI aures pervenisse &c. Et quemadmodum ibidem severa mox comminatio additur: *si non domus multa in desolationem erunt, grandesque & pulchra absqve habitatore*: ita & h. l. similis mox comminatio subjecta reperitur.

§. 6. De illa verò comminationis vel affeerationis formula conditionali secundo jam loco dispiciemus. Qværitur enim qvæ ratio verborum: **רִכְפָּר הַעֲנָה וְנַעֲנָה לְבָבֶךָ** b. e. *Si remittetur (expiabitur) iniqitas haec vobis.* An comminatio illa, de Jhudæorum calamitate per denegationem remissionis augmentanda, confirmetur h̄ic juramento DEI, ita ut h̄ic formale juramentum detur? Communiter id Interpretes affirmant scribentes, contineri h̄ic uti & in loco jam citato Jes. 5. 9. ellipticam jura-menti formulam in scripturis freqventem, qva particula **וְנַסְתָּ**, absqve adverbio **וְנַ** *non*, pro negandi adver-

Aaa

bio

bio ponitur adeoqve vehementer aliquid negatur ; sicut
& contraria in tali positu $\rightarrow \square^N$ si, cum adverbio $\rightarrow \wedge$ non
vehementer affirmat, ita ut membrum Orationis condi-
tionalis, quod execrationem vel mali imprecationem (si
jurans fallit) continet, per apostolopesis reticeatur & sub-
audiatur. Vid. *Gloss. in Phil. Sacr. l. 3. Tr. 7. can. 6.* Ita
Hakspanius in Notis ad h. l. *juramenti*, inquit, formula est
quasi DEus diceret : impotens vel infidelis habear, si re-
mittetur haec iniqvitatis vobis. Similiter Cornelius à Lap.
in Comment. h. l. p. 217. de juramento exponit, ita scri-
bens : *Si dimittetur i. e. juro quod non dimittetur &c.* Calvi-
nus in Comment. h. l. ita resolvit : *Ne existimetis me vera-
cem esse, ullamve esse divinitatem meam, nisi sim ultior tanta
impietas.* Musculus Comment. in h. l. formula, inquit,
jurandi est. Poterat dicere, non expiabitur ; verum voluit
hoc per formam juramenti proferre ad significandum iniq-
uentis hujus excessum. Similiter Piscator & Tremellius hunc
& parallelum locum, supra laepius memoratum, de ju-
ramento interpretantur, h. m. *ne vivam, nisi domus multa
fint desolationi* : *Ne sim DEus, si remittetur haec iniqvitatis vobis.*
Ceterum talismodi juramentum DEO nos indignum
censentes, formale juramentum hic & in similibus locis
negamus. Nam deficit hic formale juramenti divini si-
gnum, e. c. *vivo ego*, quod habetur Ezech. 33. 11.
vivo ego, si volo mortem impii &c. & Jer. 46. 18. *vivo ego*, di-
cit Rex ille, cuius nomen est Jehovah Zebaoth. Vel signum
elevandi manum in cœlum, cum formula : *vivo ego in se-
culum*, quod habetur Deut. 32. 40. vel *בְּנַשְׁבָעֲתִי* i. e. ju-
ravi per me ipsum Gen. 22. 16. Ebr. 6. 13. Psalm. 110. 4. *juravi
in nomine meo maximo.* Jerem. 44. 26. *per animam meam*
Jerem. 55. 14. Amos 6. 8. *per sanctitatem meam*, Amos 4. 2.
Similia

Similia habentur in juramentis humanis e. c. Gen. 14. 23.
Elevo manus meas ad Dominum & juro, non si à filo accipio i. e. qvod non velim accipere. Sic i Reg. 1. 5. jure mihi bodie Rex Salomo, non si interficiet servum suum &c.
 Sed tale qvid h. l. non habetur. Proinde interpretamenta de comminatione jurata non probamus. Interim tamen concedendum putamus, qvod, uti particula non si, absqve non, post formale juramenti signum, in scripturis familiarissimum, vehementer negat; & contraria non si cum non, vehementer affirmat, uti exempla jam citata commonstrant: ita idem positus non si, etiam sine signo & formula jurandi, tanquam character vehementissima asseverationis adhibeat, ita ut non si absqve non, eodem modo resolvatur in fortiorum negationem, & cum non, in fortiorum affirmationem. Sic in loco parallelo Jesai. 5. 9. si non domus illa multa & magnifica erunt in desolationem i. e. omnino vel certo certius fient desolatio. Sie sollen gar gewiß eine Verwüstung werden. Vel uti Lutherus vertit: Was gilt / ob nicht die vielen Häuser sollen wüste werden? Conf. Gen. 4. 38. Ita & h. l. positus non si sine non, character est vehementissima asseverationis & qvidem engativæ: si remittetur i. e. omnino non, nequaquam remittetur; vel vehementissima interrogationis, cui respondet non annon. Sic Lutherus h. l. Was gilt / ob Euch diese Missethat soll vergeben werden? h. e. Es soll Euch warhaftig nicht vergeben werden.

§. 7. Sed queritur (III.) & præcipue de severæ i. e. Jus comminationis objecto s. materia, scilicet de negatione remissionis peccatorum usque ad mortem, & qvidem cum generatim, quid sibi velit posit⁹ ille sive restrictio ^{הַמְחִילָה} i. e.

Aaa 2

i. e.

i. e. donec moriemini ? tum sp̄eciatim qværitur (1) an illa restrictio remissionem peccati per mortem s. post mortem promittat ? h. e. an inferat, mortem peccatoris esse expiationem pro peccatis ? (2) an illa restrictio interat terminum gratiae revocatrixis peremptorium ante finem vite ? Ad I. qvætionem Jhudæi quidem affirmando respondere non dubitarunt : Siqvidem inter alia ex Maimonide, Tract. de pœnit. cap. i. constat, qvod ex hoc loco soleant concludere, *quædam peccata per mortem & post mortem remitti*, adeoque mortem corporis esse expiationem pro peccatis. Cum enim Tractatu jam citato de variis peccata expiandi modis, nempe per pœnitentiam, aut solennem expiationis diem, aut divinitus immissam castigationem & pœnam differuerisset, tandem seqventia addit : *Si quis immediate in DEUM peccavit, is nullo istorum modo absolvitur, sed necesse est, ut morte temporati satisficiat, & DEUM peccata in ipsum admissa in mortis hujus gratiam remissurum esse confidat, simulque pro hac sententia nostrum producit locum, ex quo proinde Jhudæi in agone mortis præcipuam consolationem haurire conantur.* Idem quoque Kimchius confirmat in lib. Radicum, ad voculam יְהוָה, ubi refert Doctores suos dixisse, qvod qui DEUM offendit, non per pœnitentiam aut expiationis diem aut afflictionem absolvī possit, sed per mortem, qvia dictum sit h. l. *si dimittetur eis peccatum donec moriantur.* Conf. Hackspanius in Notis Theol. Philolog. h. l. p. 589. At vero qvod Jhudæi veteres tale quidex h. l. minimè conluserint, ex paraphrasi Chaldaica Jonathanis colligitur, qui locum hunc ita reddit : *non remittetur vobis עַד רֵי חַמּוֹתִים סִוְהָא הַנִּינָא i. e. usque dum moriemini morte secunda,* i. e. מִתְּחַנֵּן הַנֶּפֶשׁ וְהַוְּאָה, juxta R. Abarbinelis expositionem, כעול

בָּעֵלֶת הַבָּא כִּנְחָכָה h. e. morte animæ in seculo futuro
in gehenna. Similiter & nos Christiani talem Jhudæorum interpretationem , de expiatione peccatorum per mortem corporis & post illam , rectè improbamus : Siqvidem contra illam interpretationem militat (1) *analogia fidei* : Scriptura enim S. nullibi docet , qvod mors temporalis nostra sit sufficiens pro peccatis λύτρον , sed potius ostendit , ad expiationem peccatorum reqviri λύτρον infiniti valoris , qvale est mors Christi ipsius Filii DEI & servi DEI , qvi pro peccatis nostris percussus & vulneratus , vitam suam in sacrificium & expiationem dedit , juxta Jesai. 53. 5. 8. & 10. (2) militat contra illam Jhudæorum sententiam *scopus dicentis & contextus* : Siqvidem in præcedentibus urbi Jeruschalem populoque Jhudaico magna prædictitur calamitas , captivatio & depopulatio v. 3. 4. & sqq. Ut verò illam præcaveant , monentur pœnitentiâ precibusque & jejunii instantem avertere calamitatem v. 12. Cum verò illi divinas has ad pœnitentiam invitationes negligenter , & conversionis media rejicerent , potiusque impietati & gulæ indulgerent , dicendo : *edamus , bibamus &c.* v. 13. adeoque contemnere DEUM & Prophetas ejus pergerent , seqve adeo veniâ indignos vel *incapaces* redde- ret , ecce Propheta severis planè verbis iisdem ostendebat , non latere DEUM improba illorum facta & dicta , sed potius in auribus Domini exercituum tam potenter ista personare , ut supplicium & desolatio jam in contemtores illos sit decreta , per qvod decretum certo certius sit futurum , ut contemtoribus gratiæ & impenitentibus ini- quitas illa non sit remittenda *donee moriantur* h. e. nunquam. Cum enim illi gulæ & impietati usque ad mortem indulgere non dubitarent : Dicunt enim , *eda-*

*Aaa 3**mus*

mus bibamus, cras moriemur, DEUS qvoqve peccata ipso-
 rum non agnita, non intermissa sed usqve ad mortem con-
 tinuata, remittere illis usqve in mortem i. e. dum vivunt
 h. e. æternum noluit, adeoqve pœnâ illos temporali, qvam
 denegatio remissionis involvit, coercere decrevit: post
 hanc enim vitam ceu nullus resipilcentia ita nec remissio-
 ni locus est. Unde latis clareſcit, lententia Jhudæorum,
 de expiatione peccati per mortem corporis scopum di-
 centis & contextum reclamare. Neqve obstat restrictio il-
 la יְהָוָה וְעַד i. e. donec moriamini, qvam cœteroqvi pro
 sententia sua Jhudæi mordicus urgent, ita concludentes:
 non expiabitur hoc peccatum vobis donec moriamini:
 Ergo, cum mortui fueritis, dimittetur vobis & mors
 vestra peccati hujus expiatio erit. Dum enim Jhudaica
 explicatio tam scopo dicentis & contextui, qvam analogia
 fidei reclamat, uti haec tenus ostensum est, restrictio
 illa יְהָוָה וְעַד donec moriamini, eosdem nil juvat, præsertim cum
 particula יְהָוָה i. e. donec, commodiorem sensum ex usu
 scripturarum admittat. Siquidem ubi illa ponitur, non
 semper infertur positio rei post tempus, cum quo construi-
 tur, si præcessit negatio, qvod probant exempla, 2. Sam.
 6. 22. ubi dicitur: non erat Michali Saulis filia usque
 ad diem mortis sue i. e. nunquam amplius pariebat: alias
 sequeretur illam per mortem vel post mortem fuisse pu-
 erperam. conf. & Gen. 28. 15. Matth. 1. 25. cap. 5. 26. &c.
 Similiter nec particula hæc negationem rei infert, si præ-
 cesserit affirmatio: ita Psal. 110. 1. sedē à dextris meis, donec
 ponam inimicos scabellum pedum tuorum. Non minus au-
 tem sedit Christus hostibus devictis, qvam federat illis ad-
 huc furentibus. Conf. Hakspan. in Notis h.l. & B. Varen-
 um h.l. Haec tenus de Jhudaica qvæstione,

§. 8. Ex-

§. 8. Expeditè verò Jhudaicâ qvæstione, responsio ad Terministicam facilior erit, qvam M. Job. Georgius Böse, Diaconus Soranus, aliiqve Patroni & tautores terminigratia revocatrixis, magno nuper conatu propositi, moverunt, an scilicet illa restrictio: *donec moriamini vel usque ad mortem*, inferat terminum gratia, qui qvibusdam hominibus, & qvidem juxta Dn. D. Rechenbergium penitus induratis, ante finem vitæ sit ita positus, ut dehinc remissionem peccatorum impetrare usqve ad mortem i. e. nunquam possint? Affirmat M. Bœsius & locum hunc nostrum pro se potissimum allegat, in Tractatu suo Germ. de termino gratia peremtorio c. 7. §. 1. & lqq. ex quo sine dubio superiori Anno 1701. locum qvoqve nostrum adduxit non nemo, in foliis suis Germanicis, pag. 12. qvorum inscriptio hæc est: Christliche Entscheidung der Fragen ob GOTT allen Sündern ohn Unterscheid bis an ihr letztes Ende die Gnaden-Thür offen lasse? Oder ob GOTT dieselbe noch denen bis ans Ende beharrlich verstockten vor ihres Lebens Ende aus gerechtem Gericht zuschließe? Cui qvidem generatim respondere possemus, qværendo quis ipsum constituerit Judicem controversiæ, qui Papa non est? Miserrimum verò se probat judicem, dum rationem decidendi ex nostro hoc loco petere non erubescit. Sanè enim ex responsione nostra, ad præcedentem Jhudaicam qvæstionem jam data, atqve ex scopo dicentis uti & contextu formata, sic satis clarescit, dictum hoc contemptoribus gratiæ, in peccatis ad mortem usqve, sine omni pœnitentia perseverantibus, esse oppositum, iisqve remissionem iniqvitatis hic denegari donec moriantur i.e. æternum: non quod DEUS per terminum qvendam gratiæ positum doluerit illis peccata usqve ad mortem

mortem i. e. nunquam remittere ; sed propter illorum impœnitentiam ad mortem usque continuatam , q. d. quandoq; videm vos impietati & gulæ usque ad mortem indulgere & in peccatis mori vultis , imo & allegatis per ludibrium Propheticis judiciorum meorum comminationibus dicitis , vos velle edendo & bibendo curas abigere ex comminationibus meis ortas , qvia cras vobis per illas comminations sit moriendum ; ego qvoq; iniqvitatem hanc vestram non agnitarum , non intermissam sed usq; ad mortem sine omni pœnitentia continuatam remittere usq; ad mortem non possum , i. e. nunquam possum . Ex quibus omnino clarescit , qvod DEUS fundamentum negationis gratia usque ad mortem nullo modo statuat terminum aliquem gratia positum ; sed contemptum gratia usque ad mortem , vel impium illud velle edere & bibere usque ad mortem : adeoq; nihil aliud ex hoc loco probetur , qvam qvod DEus impiis in peccatis perleverantibus & oblatam DEI gratiam usque ad finem vitæ contermentibus nunquam peccata remittat , qvod nihil novi vel singulare , sed toti Scripturæ S. est conforme . Vanissimè ergo Böfius & alii ex h. l. sic arguunt : DEUS homini usque ad mortem impœnitenti peccata non remittit : Ergò ipsi non amplius potest remittere , qvia terminum gratiæ posuit , qvem transgressus est : Ergò DEUS ipsi ex benevolentia voluntatis suæ antecedentis non amplius remittere peccata vult , si pœnitentiam ante mortem agat .

§. 9. Tandem IV. etiam de *Cronologia complementi comminationis* hactenus expositæ , qværitur , de quo scilicet tempore hæc Propheta & comminatio loqvatur & quando sit completa ? Interpretes hinc magnopere variant . Junius concludit , tempus complemento ponendum esse Chiskiæ

Chiskiæ Regis Jhudæ & Sancheribi Regis Assyriæ annos, in qvibus Jhudæa miserè vastata & Jeruschalem obfessa, & in qvæ tempora etiam convenit, qvod de *Schebna* & *Eljakim* paulò pōst in hoc Massa vallis visionis v. 15. & seqq. habetur, de qvibus vid. 2 Reg. 18. ult. & c. 19. 2. itemq; Jesai. 36. ult. c. 37. 2. Idem sensit Hebræus, qui Hieronymum, in lectione V. T. informavit, cujus & Dissert. seqvens 20. §. 6. mentionem habet. Siqvidem is ipsi retulit, qvod hæc visio non pertineat ad Nebucadnezaris & Zedekiæ tempora. Vid. Hieronymi Comment. in Jesai. l. 5. h. l. p. 58. Hieronymus tamen etiam l. c. de Nebucadnezaris & Babylonicae captivitatis temporibus hæc dici posse existimat. Et hæc communis est tam celebriorum Rabbinorum R. Salom. & R. D. Kimchi, qvam Christianorum Dd. sententia, qvod scilicet omnia de casu Zedekiæ, & sub eo de urbis Jeruschalem obsidione ejusque & templi excidio per Nebucadnezarem & auxiliares Persarum Medorumque cōpias illato, sint intelligenda: siqvidem talia h̄c v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. disertè prædicuntur; qualia verò sub Chiskia accidisse non leguntur. Contrà B. Seb. Smidius in Comment. Jesai. pag. 194. & seq. existimat, nonnihil etiam esse, qvod illi quoque communi sententia de excidio per Babylonios illato obflat, nempe 1. qvod de ipsa urbis devestatione h̄c nihil habeatur, qvod clarum sit. 2. qvod DEUS quando devastationem Jhudæorum per Babylonios prædictit, non soleat subjicere, qvod h. l. v. 14. additur, qvod scil. non velit iniqvitatem Jhudæis remittere; sed potius illos liberatione ex captivitate soleat consolari. 3. Qvod *Schebna* & *Eljakim*, (qvorum Propheta speciatim in hac Prophétia & immediate qvidem seqv. v. 15. & 20, meminit)

Bbb tempore

tempore Chiskiæ , adeoqve longè ante Zedekiæ & Nebucadnezaris tempora vixerint . Vid . 2 Reg . 18 . & 19 . Unde & disertè fatetur , bac obstacula suam ferè sententiam ed inclinare , ut de temporibus Achasi , Chiskia parentis , banc prophetiam accipiat , de qvibus legantur 2 Reg . 16 . & 2 Chron . 28 . v . 5 . 6 . 7 . 8 . 21 . Nobis verò hæc dubia non videntur tanta , ut à communi sententia mentem dimovere nostram eòqve inclinare queant , ut de temporibus qvoqve Achasi prophetiæ hujus complementum intelligamus . Si qvidem Propheta noster jam suprà cap . 15 . v . 1 . annum , qvo parens Chiskiæ Achasis diem obiit suum , expressè memoravit , cum eodem mortis Achasi anno Massa Philistinum se accepisse dixit ; unde eodem qvidem mortis Achasi anno Propheta hanc visionem contrà vallem visionis habere potuit ; sed complementum ejus in eisdem Achasi tempora incidere non potuit . Si quis verò hic Prophetæ velit tribuere , is videat ne in probatione deficiat . Ad dubia verò Smidiana & qvidem ad (1) respondemus , qvod satis clare devastationem urbis & terræ Jhuda inferant , qvæ v . 6 . & seqq . usqve ad ii . capit . 22 . habentur . Et si vel maximè omnia hic prophetiæ verba non in eodem qvo alibi gradu sint clara ; sufficit tamen qvod obsidionis & devastationis , operâ Persarum inferendæ v . 6 . 7 . & 9 . mentionem habent . Et quis ignorat non omnia in prophetis æqve clara sed multa esse obscura ? Ad (2) Resp . qvod comminatio hæc , de peccato usqve ad mortem non remittendre , non ad omnes pertineat Jhudæos : quis enim crederet , omnes fuisse coñinationum Propheticarum contemtores & prorsus impœnitentes ? Sed tantum ad impios & impœnitentes , qui divinas invitationes ad pœnitentiam

tentiam & lacrymas, iisqve annexas comminationes contemnebant, atqve è contrario gaudia & convivalem potius luxum parabant, imò & allegatis per ludibrium propheticis illis judiciorum divinorum comminationibus dicebant, levendo edendo & bibendo curas abigere, qvia cras sibi per illas comminationes propheticas sit moriendum v. 12. 13. Alibi qvidem, cum vastatio & captivitas per Babylonios inferenda Jhudæis prædicitur, liberatio simul ex captivitate consolationis loco additur; qvomodo & in præced. Massa *deserti maris*, duræ visioni contra terram Jhuda, & doloribus propheticis inde subortis, casus Babelis (à qvo liberatio Jhudæorum pendebat) in solatum Jhudæorum, per Babylonios operâ Perlarum & Medorum devastandorum, v. 9. subjicitur, vid. Disp. præced. 16. p. 297. fin. & Disp. 18. p. 311. pr. non tamen ibid. qvando Jhudæis devastatio & captivitas prædicitur tale subjicitur solatum, qvod temporalis illa devastationis & captivitatis pœna non sit præmitenda, & qvod usqve ad mortem impenitentibus peccata sint remittenda: Hoc enim loco sub remissionis denegatione etiam excidii temporalis pœna comprehenditur. Ad dubium (3) de Schebna & Eljakimo resp. cum B. Varenio: tertiam sententiam (de excidio scil. Babylonico tempore Zedekiæ illato) non tamen exclusis calamitatibus, qvæ sub Jhojakimo intercesserunt, praferimus, non obstante complemento circa personale Massa Schebna: neqve enim opus est, ut utriusqve partis (scil. generalis de urbis devastatione, & specialis de Schebnæ degradatione) complementum consumatum præcisè uno tempore ponatur. Vid. Comment. ejus in Iai h. l. p. 204. Nimirum visio & prædictio utriusqve Massa, tam nationis qvam personalis,

sonalis, uno fieri tempore potuit; complementum vero diverso: & quidem complementum prophetiae de Schebnæ degradatione & Eljakimi surrogatione brevi post sub Chiskia ponendum, uti ex Dissert. seqventi clarescat; Vid. Jes. 36. & 37. complementum v. de Jhudæorum devastatione ponendum longè post Chiskiæ tempora, scil. tempore Regis Jhojakimi & Zedekiæ.

§. 10. *Discimus* ex h. l. (1) qvod DEUM non lateant impiorum dicta & facta. (2) qvod clamor vocis impiorum, vocationem divinam ad pœnitentiam contemnitum, in auribus DEI potenter personet. (3) qvod nihil sic DEUM offendat, quam post peccata cervix recta & ex desperatione contemptus (4) qvod pena tanto gravior sequatur impietatem, cum vocante DEO ad lacrymas & pœnitentiam genio indulgemus, neque per pœnitentiam ad DEum redimus. (5) qvod hominibus in peccatis usq; ad mortem perseverantibus etiam peccata usq; ad mortem i.e. nunquam remittantur. II. *Correctionem* quoq; nostri temporis homines merentur: nam usq; adeo passim crapula omnisq; generis voluptas hodienum obtinet, ut malint catholico plane studio carnem in deliciis valere, & si non ore tamen corde heu! dicere: edamus, bibamus &c. quam plangere & feriam agere pœnitentiā. v. 13. Hinc III. etiam *monemur*, ut aures oculosq; Domini exercitum in omnibus verbis factisq; nostris timeamus 2. securitatem & commissiones fugiamus. 3. pœnitentiam usq; ad mortem non differamus, qvia cū morte tempus gratiæ terminatur. Tandem IV. *Solatium* peccatoribus remanet, qvod gratia DEI sit immensa, qva mortem peccatoris non vult, sed ut pœnitentiā agat & vivat: siquidem punitus peccatores, vocat illos prius ad fletum, ad pœnitentiā, paratusq; vocungi tempore ad recipiendū in gratiam respicientes v. 12.



Eximio planè clareqve docto
DN. RESP. FRANCO,

In gemino Collegio Theol. Disputatorio super Augst. Confess. &
Universa Theologiz fidei controversias potiores Auditori,
Respondenti & Opponenti apprimè industrio,
Jam in Collegio qvoque Jesaiano publicè disputatu.

FELICITER!

Officium dum quisque suum facit, utilis ut sit,
Atqve suus florens duret in orbe status:
TU quoqve, quem donis natura benigna beavit
Egregius, FRANKI, sic faciū officium,
Pluribus ut proflis, Tuus ut status usqve beatus
Duret*, qvod studii tot bona signa docent:
Hæc inter prælens uti Dissertatio claret,
Sic Tibi grator eam, sic bona multa precor,
Ut citò materies gaudendi magna Parenti
Detur, & huic Gnatij gratuler usqve decus.
Quid? qvod Ei jam tum lenimen dulce (a) senectæ, (a) Descriptio filii morigeri,
Et Patriæ sobolem grator, Amice, Tuæ,
Cujus me Juvenem qvondam (b) moderare juventam, (b) Cum A. 1655. ætatis
Inspectore Tuo, tunc iene, juvit Avo, (c)
Cujus ego nunquam qveo non meminisse favoris,
Nec Patris (d) & Patrui (e) dememiniſſe licet, (c) B Joh Franco, Eccl.
Qvos jubeo salvere, Tibi multumqve valere,
Et refici curæ per documenta Tuæ.
Perge qvod ingressus studium decurrere gnavus,
Et studii fructus mox, quod & opto, feres:
Perge Prophetarum scrutari scripta, Tuumqve
• Fac * durare diu, fac renitente statum.

* David Francus:
Fac diu durans.

LMQ.

A. D. HABICHHORST, D.

Cl-

21. Scholæ Lychenfis
Rector per annum
esse.
(c) B Joh Franco, Eccl.
Lychensis Past. & In-
spect.
(d) Dn. Joh. Franci, tunc
Gymnas Berolin. Al-
umni, paulò post A-
cademici & Parentis
dicti successoris, jam
ferè septuagenarii.
(e) Dn Gabr. Franci,
tunc pueri bellissimi,
nunc Consulis ibid.

Clarissimo DN. RESPONDENTI

S. P. P.

Qui studiorum suorum reddere rationem vel Parentibus vel Patronis
annuntiantur, Cathedram Academicam occupare & industrie sue do-
umentum edere solent. Nec enim credi posse existimant, audere
quempiam publico se opponere doctorum judicio, nisi tantum eruditio-
nis imbibatur, ut eorum adprobationem & testimonium, quin & adplausum me-
riter queat. Idque dum & Tute facis, Amice optime, quis non colligat, ar-
dere Te sciendi desiderio, & ei fini tempus omne, quod in Academis teris, se-
riò alacriterque collocare? Ei rei fidem faciet non præsens tantum meletema,
quod inter Commititones Tuos malculè ventilabis, sed ego quoque, cuius
privatas scholas indefessè diligentia freqventas, testium numero accedo.
Facile enim ex ista sedulitate Tuā prævideo, quam spem patriæ Tuę, quam
lætitiam iis, qui Tui curā afficiuntur, parias. Faxit DEUS, ut constans sit
animi Tui consilium & ea quotidie capias in studiis Tuis incrementa, quæ ne-
cessitudini Tuę singulare sint gaudio, Praeceptoribus etiam admirationi.
Vale optimè. Scr. in museo, die IX. Febr. MDCCIII.

JO. FECHT, D.P.P. Confist, Duc. Adf.
& Distr. Rostochiensis Superintendens.

oooooooooooo

Qvanta Tuo vigeat, FRANKI, sub pectore virtus,
Præsens indigit sedulitatis opus.

Quod gratuler & felix esse precor

J. N. QVISTORP, D. & P. P.
ad Div. Nic. Past. & R. Minist. Director.

oooooooooooo

Scrinia Doctorum dum volvis & ora Magistrūm
Viva colis, relegis mortua, FRANCE, Virūm:
Multa quidem tibi cura Lycei; nulla Lyæi:
Ocia, non operæ sunt Tibi poena gravis.
Quid Tibi promittam Juveni gnavoque pioque?
Qui non pro lubitu tempora vana teris?
Sed cui pro vita est studiorum gaza sacrorum,
Passim quæ repleat pulpita, templæ, scholas,
Hunc Tibi cum DOMINO facilis promitto decorem,
Quem terra officiis ornet, amore polus.

Cognito sibi

Modestissimo pariter ac diligentissimo
DNO. FRANCO,
ex Isaiante disputatuero amoris ergo

J. P. GRÜENENBERG, D.P.P.
Confil, Confist, & Super,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1003431593/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431593/phys_0030)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1003431593/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003431593/phys_0032)

DFG

LOCUS XXII. JESAI. XXII. 14.

tentiam & lacrymas, iisqve annexas comminatione teminebant, atqve è contrario gaudia & convivalenterius luxum parabant, imò & allegatis per ludibriū pheticis illis judiciorum divinorum comminatio dicebant, se velle edendo & bibendo curas abigere cras sibi per illas comminations propheticas sit endum v. 12. 13. Alibi qvidem, cum vaftatio & catastas per Babylonios inferenda Jhudæis prædictitur ratio simul ex captivitate consolationis loco ad quomodo & in præced. Massa *deserti maris*, duræ v contra terram Jhuda, & doloribus propheticis induoris, casus Babelis (à quo liberatio Jhudæorum pbat) in solatium Jhudæorum, per Babylonios Perlarum & Medorum devastandorum, v. 9. futur, vid. Disp. præced. 16. p. 297. fin. & Disp. 18. pr. non tamen ibid. quando Jhudæis devastatio & vitas prædictitur tale subjicitur solatium, qvod tem illa devestationis & captivitatis pœna non sit pretendenda, & qvod usqve ad mortem impenitentibus cata sint remittenda : Hoc enim loco sub remis denegatione etiam excidii temporalis pœna comprehenditur. Ad dubium (3) de Schebna & Eljakimo cum B. Varenio : tertiam sententiam (de excidio Ibylonico tempore Zedekiæ illato) non tamen excludit amittatibus, qva sub Jbojakimo intercesserunt, præfer non obstante complemento circa personale Massa Schebna que enim opus est, ut utriusqve partis (scil. genera urbis devestatione, & specialis de Schebnæ degratione) complementum consumatum præcisè uno tempore tur. Vid. Comment. ejus in Išai h. l. p. 204. Nimirus & prædictio utriusqve Massa, tam nationis quam fo

